DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

Morbo puerili Anglorum,

quem patrio idiômate indigenæ
vocant

The Rickets,

QUAM

Deo ſuppetias ferente,

Ex authoritate Nobiliſſimi Domini Rectoris Magnifici,

D. JOHANNIS POLYANDRI à KERCHOVEN
SS. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque Facultatis in Illuſtriſſimâ Acad. Lugd. Bat. Profeſſoris primarii,

Decreto Illuſtriſſimæ Facultatis Medicæ, & Ampliſſimi Senatûs Academici conſenſu,

Pro Gradu Doctoratûs, ſummiſque in Medicinâ Privilegiis conſequendis,

Diſcutiendam proponit

DANIEL WHISTLER, Anglo-Saxonicus-Orientalis.

Ad diem 18. *Octob. Horis & Loco conſuetis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ
WILHEMI CHRISTIANI BOXII. 1645.

Ob defectum exemplarium novis typis conſervandas haſce Theſes Author voluit.

Londini, Ex Typis *Thomæ Fleſher*, 1684.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Morbo puerili Anglorum, quem patrio idiômate indigenæ vocant

The Rickets.

THESIS. I.

UT Scorbutus Balthici maris accolis; plica Sarmatis & Polonis; Bronchocele, ſeu gutturis tumor, Alpinis incolis; Lues venerea, populo Indiæ, Endemici habentur: Ita morbus, quem refero, noſtræ Anglorum infantiæ vernaculus, & peculiariter infeſtus eſt.

II.

Ex pluribus ſanè Symptomatibus, diviſim veteribus notis, complicatus videtur; ſecundùm Syndromen verò ſignorum, quæ conjunctim Pathognomonicum unum conſtituant, antiquis (quantum ſcio) incognitus erat. Viginti ſex plus minùs retro annis, apud nos primùm innotuiſſe perhibetur; nomenq; ſibi, *The Rickets*, à cognomine cujuſdam id morbi Empiricè primò curantis adoptaſſe dicitur. Alii ex rure volunt delicatulum hoc nomen oriundum, ex agro ſcilicet Dorceſtrenſi, ubi, qui difficulter anhelitum trahunt (quod hoc morbo laborantibus frequens eſt) dicuntur loci idiômate, *To Rucket*. Verùm de nomine ampliùs non litigo, fas ſit ſolùm in Britanniâ nato vocabulo Latinæ civitatis jus donare, audiatque inpræſentiarum infans infantium morbus me ſuſceptore *Pædoſplanchnoſteocaces* nomenclatura.

III.

SIGNA DIAGNOSTICA.

In ſignis autem Diagnoſticis recitandis me nimium potiùs, quàm parcum mallem.

1. Principio hîc obſervare licet Hypochondriorum tenſionem præternaturalem, ſeu tumorem abdominis indebitum cum aliquali duritie, in dextro præſertim latere, ſub regione Hepatis.

2 Deinde extuberant mole ſupra ætatem ingenti articulorum Epiphyſes, nec non diſpari ad reliquum corporis augmentum magnitudine, præcipuè quæ brachialia & pedia conſtituunt: à quo Symptomate inſigniore totum affectum, *Pædarthrocaces*, & *Pædarthroncias* nomine nonnulli honeſtant.

3 Nodoſi etiam à lateribus tumores excreſcunt, quâ cartilagineæ partes cum oſſeis connectuntur.

4 Immo totum genus oſſeum ceræ inſtar udioris flexile eſt, vix ut ſuſtentent corporis incumbentis onus crura flaccida, & enervata; hinc tibiæ ponderi degravantis Fabricæ ſuccumbentes deorſum incurvantur; eandemque ob cauſam, crura ſurſum contrahuntur; dorſumque ob ſpinam inflexam gibboſius regione lumbari extuberat: ut non erecti ſedere languentes, ne dum ſtare morbo invaleſcente ſuſtineant, ab hoc ſymptomate, quidam hunc affectum, *Pædoſteocacen* nominant.

5 Hiſce capitis magnitudo aucta, cum Hydrocephalæâ interdum accedit; à quo accidente cum ſecundo complexo, non iniquè aliquis totam diſpoſitionem, *Pædocephalarthroncian*, appellare potiùs voluit.

6 In partibus mollioribus, ut cute, carnibus, ligamentis, &c. flacciditas, & mollities infra ætatem percipitur.

7 Dentes tardiùs, & moleſtiùs erumpunt; ſæpiuſque, cum erupêre, putreſcunt.

8 Concomitatur pectoris plerumque anguſtia, ſterni acuminatio, & inæqualis poſitio; aliquando totum ſternum, præcipuè mucronatam cartilaginem verſùs deprimitur, & introrſum deducitur ad oſſeos uſque coſtarum terminos; quod principio ferè contingit.

9 Reſpiratio tandem difficilis ſentitur, cum tuſſiculâ nonnunquam, & pthiſi.

10. Febris

10 Febris quoque lenta ſæpe hujus morbi Pediſſequa eſt, in ordinata, ſine certo typo, cum caloribus erraticis.

11 Pulſus laborantium inæqualis, & debilis eſt.

12 Urina frequenter craſſior naturali: colore, conſiſtentiâ ſæpe varians, ut in Scorbuticis.

13 In fluore alvi, & vomitu, qui aliquando ſuperadveniunt, ejiciuntur viſcida, & pituitoſa excrementa.

14 Appetitus eorum, vel moderatus, vel debilis eſt: dulcibus, nempe ſaccharatis minùs oblectantur.

15 Moderatè dormiunt, ſi non nimiùm, niſi aliud obſit.

16 Quoad mores, ingenioſi ferè ſunt, & præcocis judicij, ut vel hinc male ominari poſſint de longævitate eorum ſuperſtitioſi parentes: non ludicris maximoperè gaudent, ſupra annos ſerij; ſed quibus Hydrocephalæa coincidit, hebetiores ſunt, quòd cerebrum multâ aquâ, vel pituitâ opprimitur. Minùs iracundi ſunt, & queruli; quietem affectant, ad motum tardiores.

17. Puſtulæ interdum & maculæ per faciem, pectus, & artus diſperguntur, referentes vel Scorbuticas, vel venereas, prout hoc vel illo morbo tactos fuiſſe parentes, vel avos, proavoſque ſuſpicio eſt.

Reliqua Symptomata, quæ aliquando ſed rariùs concomitantur, quoniam à certâ corporis conſtitutione, vel aliorum affectuum complicatione oriri poſſunt, recitare non dignamur.

IV.

Hactenus hujus morbi famulos, quaſi Atrienſes digito monſtravi: at intimiores ejus, & quaſi cubicularios ſatellites, qui à Secretis ſunt, & in ſinum pectuſque admittuntur, familiaris ſola aperit diſſectio. Conſcribamus jam auxiliares milites, quos nobis ſuppeditat regina Anatome, ad novum hoc monſtrum debellandum.

Quotquot hoc morbo conflictati fato immaturo fungebantur, poſt mortem diſſecti, viſceribus non naturaliter affectis prædiți inveniebantur. Hepar imprimis ultra modum intumeſcebat, majus quàm in ſanis & albicantius. Glanduloſum magis, quàm par erat meſenterium videbatur. Frequenter etiam thymus ſtrumoſis tumoribus turgeſcebat: unde hunc affectum malè curatum frequens ea Schrophularum ſpecies, quam Angli *The Kings Evil* vocant, ſubſequitur. In aliquibus

Splen,

Splen, renes quoque juſto auctiores erant. Pulmones non rarò ſcirrhoſi cernebantur, immo nunc ex alterâ, nunc ex utrâque parte lateribus per fibras adhæreſcentes. Etiam ulcera eorum, & apoſtemata, ſæpius in venta ſunt: unde frequens hujus morbi in pthiſin mutatio eſſe ſolet. In omnibus ferè, abdominis, thoraciſque cavitas citrinæ aquæ colluvie ſtagnabat. Cerebrum valde flaccidum, & ſero irriguum erat; in ventriculos quoque ejus exundabat madoris affluentia. Dura mater pertinaciter cranio plurimorum adhærebat, ac ſi connata fuiſſet. Ut nihil mirum videatur, dum prædicta ſymptômata ſimul ingruunt, vires eſſe debiles, carnes extenuari: illud planè ſtupendum, faciem non unà emaciari, ſed veluti convaleſcentium pleniorem, & floridiorem eſſe.

V.

Partes adeo principaliter affectæ ſunt viſcera, & genus oſſeum, unde noſtri nominis *Pædoſplanchnoſteocaces* huic affectui imponendi nobis audacia eſt. Sed an æquè primò, an oſſa primariò, viſcera ſecundariò, an contrà afficiantur, lis eſt. Mihi mirum in modum primo auditu viri conſummatiſſimi placitum arridebat, qui ſtatuit affectum hunc conſiſtere in defectu penetrationis ſucci nutritii oſſibus appropriati, quod ob duplicem cauſam fieri potuit, 1o. ob nimiam denſitatem, ſeu imporoſitatem ipſorum oſſium; hinc fit, inquit, ut partes mediæ oſſium, quæ minùs poroſæ, magiſque compactæ ſunt, vel non omnino, vel minùs comparatè nutriantur, & augmententur: contrà partes rariores, ſpongioſiores, & poroſiores, quales ſunt extremitates oſſium, & Epiphyſes, nimiùm intumeſcant. Quaſi natura (credo) capacitate portûs invitata, totum onus alimentare ad id emporij deponeret. 2o. ob ſucci ipſius nutritij nimiam craſſitiem, & viſcoſitatem obſtructivam, ratione cujus minùs poroſas oſſium partes permeare non poſſit, ſed in corpus refluere, & in viſceribus reſtagnare. Sed ignoſcat mihi ingenioſæ opinionis author, quòd Pedarius ego in ſenatoris hujus ſententiam pedibus non eo. Durior ſanè eſt media pars oſſis, non denſior, quam extrema: mollior extrema, non rarior, & poroſior. Denſitatem gravitas, & imporoſitas manifeſtant: duritiem verò firmitas unionis partium oſtendit, quam ſequitur diviſionis reſiſtentia, ut non facilè cedat conprimenti. Sic laxiores, mollioreſque ſunt mulieres

lieres cute, & carne : rarius tamen eſt, magiſque foraminibus pervium corpus virorum. Propterea faciliùs, & liberaliùs ſudat, nec non penetrabile frigus flante Aquilone minùs tolerat, quàm fæmineum. Molliores igitur oſſium partes diſtendit humor ſubtilis penetrans, non apertas invenit humor craſſus, ut oppleret, infarciretque. Neque enim molem articulorum ſucco nutriente augeri, ſed ſerosâ colluvie irrigari putem. Diſplicet etiam, vel id imprimis; quòd priùs oſſa ſupponit affici, deinde ſenſibili intervallo viſcera (ſcilicet poros oſſium, veluti alveolos ſuperantem ſuccum, eluvione ſtagnare in locis circumjacentibus.) Cùm in recenter affectis tumeat abdomen, veluti viſceribus jam læſis, non niſi perito medico diſcernendis, nondum carpis tarſiſque intumeſcentibus: quorum tumor inveteraſcentem morbum, etiam mulierculis cognoſcendum denunciat.

V I.

De causâ autem continente, morboque ipſo ſic ſtatuo. Suppono inpræſentiarum (quod contra repugnantes defendere in diſputationibus conabor) ſanguinem à corde egredi per arterias, regredi per venas; egreſſumque illum è ventriculis cordis, non eſſe mortum tractionis à partibus, ſed pulſus à corde. Sit itaque ex principiis ſeminalibus debilis ab ortu pulſus ob frigidam intemperiem cordis, qui non ſufficiat maſſam ſanguinis irradiare ſpiritibus, & calore influente ad præſervandum partes ejus in miſtione perfectâ, quin diſſileant: jam partes viſcoſæ, fibroſæ, & caſeoſæ, ab ictu cordis debili, non tam longè ejaculantur ad habitum corporis, ſed in minoribus circulis circulationem ſuam peragunt. Ob lentorem autem, & craſſitiem fæculentæ partis, non facilè perforantur orificia, tum arteriarum, tum venarum in pulmonibus, viſceribuſque: hinc obſtrui meatus eorum neceſſe eſt. Unde & facile conceptu, cur pulmones ſolito ponderoſiores, Hepar grandius ſit; acceſſu ſcilicet novæ materiæ craſſioris infarctæ. Atque hinc tumores varii generis, ſtrumæ, apoſtemata, & ulcera in viſceribus glanduliſque, prout dicta materia varias naturas acrimoniâ, vel putredine contraxit. Pars autem ſeroſior maſſæ ſanguineæ & ſubtilior exuta jam onere caſeoſo, cui pro vehiculo erat ante ſeparationem, quâ data eſt porta, ruit, perrumpitque vel minutilos vaſorum meatus ad habitum uſque corporis: imbecillitatemque pulſûs levitate, &

agili-

agilitate materiæ compensat. Sed in æqualiter ad partes fertur, prout viæ ad hanc,vel illam partem plures,majoresq; pateant;vel prout pars mollitie,& teneritate facilius recipiat circuitum hunc serosi sanguinis, quamvis debili facultate cordis impulsum. Hinc Epiphyses articulorum ad brachialia, & pedia præsertim, copioso affluxu hujus materiæ turgescunt ; tum quia molliores, & penetratu aptiores sunt ; tum quia (quod abraso periosteo videre licet) majores & frequentiores arteriæ, venæque ad Epiphysiôn sedes, partesque earum vicinas, quàm in medio osse observantur. Cerebrum quoque quòd mollius laxiusque sit cæteris partibus,debili arteriarum pulsui facilius cedit,recipitque serositatem injectam. Cartilagineæ autem partes non irrigari tantum ob mollitiem, sed attolli, distendique ob lentorem natæ sunt. Hinc nodi in pectore ad Cartilagineas costarum extremitates, articulorum in carpis tarsisque ὄγκοι, cranij etiam (quod infantibus cartilagineum magis, quàm osseum est) Hydrocephaloncia contingit. Partes interim verè osseæ, vel non omnino, vel minùs debito nutriuntur, ob defectum succi alimentaris, qui cum parte crassiore massæ sanguineæ interiùs versatur in visceribus circulisque minoribus. Distendi autem non possunt more Epiphysiôn ob friabilitatem ossis, irrigari solummodo queunt humore confluente, unde crura emaciata sunt, cerea, & flexibilia. Lentescere enim magis oportuit, ut distenderentur undiquaque, more spongiæ, sine metu fractionis, quàm ut flecterentur paulisper: quòd in inflectione partes concavæ coarctantur tantum, quantum convexæ dilatantur ; mediæ interim in statu naturali conservantur. In distentione autem æquali augmento analogâ, partes omnes laxiores & à se invicem distantiores redduntur homogeneæ, quarum pori heterogeneo corpore infarciuntur. Tabescit reliquum corpus viscеribus obstructis ob defectum succi nutritij, qui cum crassiore sanguine intus incarceratur. Colluvies autem serosa, quæ habitum corporis alluit, propter lentoris, & pinguedinis carentiam nō potest carni agglutinari, sed eam solummodo madefacit, unde macies simul & mollities illa præternaturalis oritur. Reliquum seri vel intus remanet in cavitatibus abdominis, thoracis, cerebríque: vel sudore absumitur ; vel urinâ alvoque evacuatur ; vel insensibili halitu transpirat.

VII. Cau-

VII.

Causa igitur continens est in visceribus succus alimentaris nimis crassus, lentus, viscidus, & obstructivus, humidior, & frigidior, quàm par est; pars sanguinis (uno verbo) caseosa: in genere autem osseo, & cartilagineo, in cavitatibus insignioribus, partibusque externis pars sanguinis serosior.

VIII.

Morbus autem ipse consistere videtur in positione sanguinis crassioris, caseosi, obstructivi in visceribus: Itemq; in defectu succi nutritii ossibus partibusque externis debiti, ejusque loco affluxu humoris serosi.

IX.

Causa antecedens interna προηγουμένη quæ causam continentem efficit, ac movet, ex meâ Hypothesi, est debilitas pulsûs, seu circulatio sanguinis imbecillis, quæ massam sanguinis non sufficienter irradiat calore influente, ad præservandas partes ejus heterogeneas in mistione perfectâ quin coagulentur, & congerantur in diversis partibus. Sanguis enim debili pulsu protrusus, duplici ex causâ refrigeratur, & quòd recens à foco minùs incaluit, & quòd tardiùs regreditur. Quod autem sanguis refrigeratus imperfectiùs misceatur, ex venæ sectione liquet; ubi partes fibrosæ concrescunt, tenuiores supernatant; expirante calore spirituoso partium heterogenearum, quasi vinculo.

X.

Quod ad causas originis attinet, frustrà mihi videntur rei novæ gentique nostræ appropriatæ causas jam olim existentes, cæterisque jam nunc nationibus communes assignare. Cautiùs illi, qui cælum respiciunt, certamque illius hisce ultimis temporibus figuram, determinatum hunc morbi characterem nostris infantibus sub tali climate degentibus, tali temperamento dispositis imprimere volunt. Verùm de causis dispositivis manifestis, quæ & olim disponebant, & adhuc disponunt tenella corpora ad malignitatem cæli recipiendam, determinantque nostri horizontis influxum ad talem specifice morbum in tali individuo producendum, ulteriùs inquirendum. Novissimo hoc sæculo lues venerea, & scorbutus, etiam nostras regiones infestârunt: quos ægris ipsis

 super-

superstites in prole cum semine communicatos hæreditario jure cernimus. Quod si antiscorbuticis, vel antivenereis refracta fuerit veneni vis, non eradicata, quid mirum si recidiva materia in nepotibus sub alieno nomine mitioribus symptomatibus se prodat? Quod non dubito affirmare ijs infantibus contigisse, quibus pustulæ & maculæ erumpentes, vel scorbuticam, vel Gallico-veneream suam originem satis manifestant. Causæ autem procatarcticæ sunt, vel in parentibus, vel in nutricibus, vel in infantibus. In parentibus, quæcunque vel seminis objectum ineptum reddunt, vel moram in vasis convenientem negant, vel calorem, & virtutem seminalem dissipant, reddunt que semen quoad substantiam tenue, quoad qualitates occultas scorbuticum, vel Gallico-venereum, quoad manifestas frigidum humidumque, & (uno verbo) crudum. Vix enim invadit infantes, nisi quorum parentes gonorrhæâ, scorbuto, schrophulis, lumbagine, vel alijs longis præcipuèq; frigidis & humidis cerebri, & genitaliũ affectibus laborarunt; vel frictionibus immaturis & immoderatis, vel veneri præproperæ & enormi operam dederunt, vel Baccho liberaliùs indulserunt. In nutricibus causæ esse possunt, quæcunque lac earum crassum, viscidum, obstructivum, infantibus sugendum reddunt. Qui rubris crinibus præditam nutricem sugunt, huic affectui magis obnoxij esse creduntur, quòd rubedo in crinibus signum est caloris in nutrice, cujus lac adeò magis concoctum, densum, caseosumque est, absumente calore partes serosiores penetrabiles, de obstruentesque. Ad hunc etiam affectum generandum, accelerandumque, conducere potest mos iste pessimus conductitias accersendi nutrices, quæ à matre adhuc rubentem infantulum lacte fibroso, & crasso lactarent: cum serosa matris colostra longè aptior esset tenello infantulo, cui purgatione æquè, ac nutritione opus erat. Quippe recens natus excrementis pituitosis in inferiore ventre cumulatis abundat; postulatque lac medicamentosum, quale primis à partu mensibus maternum est, qnod purget simul, ac nutriat. Causæ autem in infantibus Procatarcticæ, ex cælo nostro crasso humidoque, & more peculiari nostros infantulos nutriendi, tractandique petendæ sunt. Quæcunque succum solidiorem, & viscidiorem reddere valeant, etiam frigidorem, & humidiorem quàm par est. Nullibi (quod sciam) terrarum tam festinãter, & largiter carnes infantibus concedi solent, quàm apud nos Anglos. Nec malè observatum est rarò hoc morbo correptos fore infan-

infantes, quamdiu non alio cibo, quàm lacte utantur. Inter primi enim finem, & initium quarti ætatis anni plerumque se exerit. Immo experientiâ constat edentulos aliquos ad carnis ingluviem deductos hoc malum mox incurrisse: deinde factâ abstinentiâ, paucis remedijs adhibitis, brevi convaluisse. Frequentissimè in generosorum canis hic morbus grassatur: proximè inter fœcem plebis: minimè inter mediocris fortunæ homines. Causam illius parentum intemperantiam arbitror, & quòd meritoriæ nutrices infantum curam gerunt; alterius, præter victûs errorem, ignis inopiam; diutinam in fœcibus, & sordibus moram; linteorum frigidorum, & malè siccatorum usum. Languens enim ab ortu calor nativus à frigore externo extinguitur. Ex dictis hanc definitionem descriptivam hujus affectûs elicio, à partibus primariò affectis, causis continentibus, Symptomatibusque principalioribus petitam.

XI.

Pædosplanchnosteocace est morbus puerilis viscera omnia, genusque ossium infestans, ob inæqualem mistionem sanguinis; unde partes caseosæ visceribus impactæ adhærent eaque obstruunt, seroſæ autem in habitum usque corporis ejaculantur, vel in cavitatibus corporis restagnant; unde tumet obdomen; articuli ad carpos tarsosque extuberant; nodi cartilaginei ad costarum extremitates oriuntur; totum genus ossium cereum, flexileque est; caput augescere solet; partes molliores flaccescunt; sternum principio deprimitur, in processu acuminatur cum dyspnœâ, & lentâ tandem febre comitante.

XII.

Quorum Symptomatum principaliorum, quæ restant causas jam expediam. Tumor abdominis in principio morbi ab auctâ jecoris & lienis magnitudine oritur: tandem ex subdito aquoso, & seroso humore in cavitate ejus distensionis incrementum sumit. Scio equidem cum infantibus, brutorum etiam pullis naturalem esse primis mensibus partium nutritioni dicatarum largam molem, abdomenque distentius; ne cui hoc signum solitarium temerè imponat.

XIII.

Pectoris acuminatio, instar pectoris caponis à multis simul causis

oritur. Primùm pulmones recens natorum craſſo ſanguini referti ſunt. Unde fit ut multi primis diebus ſuffocentur, aut à pravo in dorſum decubitu, aut à thoracis compreſſione, quia liberè ſeſe pulmones non explicant. Jam autem ex morbo craſſiores & denſiores facti, thoraci ſeſe diſtendenti difficiliùs obſequuntur; ſed craſſo ſanguine gravati trahunt obliquè deorſum, per fibras illas laterales, quibus in pleriſque *Pædo-ſplanchnoſteocacis* pulmones pleuræ connectuntur; unde pectus neceſſariò acuminatur; quòd autem fibroſi hi cõnexus magis à ſuperiore laterali pulmonum parte utrinque procedunt, hinc ſuperior pars pectoris & citiùs, & magis faſtigiatur, quàm inferior. Hæc enim in principio morbi ab hepatis pondere degravatur, complanaturque adeo ſuperiùs. Vel licet à fibris liberi eſſent pulmones, graves tamen cum ſint, eò uſque diſtendi non poſſunt, ut adimpleant thoracis capacitatem: pectoris inde cartilagines intrò accedunt, ad implendum ſpatium alioqui vacuum futurum, quod pulmones nequibant. Quod faciliùs quis admittat, ſi conſideret coſtas infantibus admodum molles, & ſequaces eſſe, jamque ex morbo molliores & ſequaciores reddi; deinde infantulos, præcipuè hoc morbo affectos vix cruribus ob debilitatem inſiſtere; Sed continuè ferè, vel in cunis, vel in ſinu nutricum jacère; vel inconſiderato amplexu comprehendi. Etiam aucta jecoris moles acuminationi pectoris confert. Dum enim Hypochondrium diſtendit, thoracis latera introrſum cedunt; (liene quaſi Antepate ſiniſtrum ſimiliter latus diſtendente) unde complanari pectoris latera, acuminari ſternum, præcipuè ſuperiùs ſcapulas verſùs continget. Nam inferiùs deprimi ſæpius mucronatam cartilaginẽ in principio morbi diximus. Initio enim ubi nondum nimis excrevit jecur, latus primò, utpote vicinius, & faciliùs cedens, & majori ejus parti convexæ oppoſitum diſtendit; deinde invaleſcente morbo magis auctum, cartilaginem quoque mucronatam ſuâ mole elevat, quam pondere priùs (detracto primùm diaphragmate per ſuſpenſorium ligamentum, & illo mediante Xiphoide degravatâ) depreſſerat.

XIV.

Reſpiratio difficilis à pectoris anguſtiâ; à pulmonum gravitate, à coaleſcentiâ eorum cum pleurâ per fibroſos nexus, (quæ in adultis dyſpnæam incurabilem parit) ab hepatis pondere diaphragma deorſum trahen-

trahente; ab aquâ citrinâ in abdomine, & thorace idem comprimente, ut ad motum reſpirationis non ſit liberum; (qualiter in Hydropicis fieri conſuevit) à pulmonum phthiſi, ubi adeſt; (ut in pthiſicis contingit) etiam ab inbecillitate facultatis motricis muſculorum reſpirationi dicatorum fieri poteſt.

XV.

Reliqua ſymptomata, vel frigidæ humidæque intemperiei, vel ſanguinis craſſitiei & inæquali diſtributioni, vel oſſium mollitiei, ſeroſæque materiæ copiæ diviſim, aut conjunctim ortum ſuum debent.

XVI.

PROGNOSTICA.

1. Qui à partu ſtatim, vel ante tentantur omnes moriuntur. Signum eſt enim potentis cauſæ morbificæ, quæ tam citò invadit; nec in tam teneris ſatis fortis eſt natura ad expugnandum.
2. Plures ex fæmineo ſexu laborant, ſed hæ citiùs & certiùs convaleſcunt.
3. Hydrocephali quibus futuræ cranij dehiſcunt, ferè moriuntur.
4. Qui jactationem corporis meliùs tolerant, faciliùs evadunt.
5. Qui pedibus incedunt faciliùs curantur; ut & grandiores ætate.
6. Ubi collum vix ſuſtinet caput rarò ſupervivunt; ut & in magnâ difficultate ſpirandi. In ſuppurationibus pulmonum, & phthiſi nunquam.
7. Pulſus inæqualis & creber malus, præſertim debilis.

CURATIO.

XVII.

Tota curatio hiſce Indicationibus perficitur. Craſſi & lenti humores, qui obſtruunt, & obtundunt circuitum ſanguinis præparandi, & evacuandi; illuvies ſeroſa amovenda; circuitus ſanguinis, ſeu calor influens in externis augendus; Symptomata deinde externa appropriatis medicamentis tollenda. Commendantur hìc Specifica. Antiſcorbutica, Antigallico-venerea interdum, Hepatica, Splenetica, Arthritica. Specifica habentur ob mirabiles quos in hoc morbo profligando effectus habent Oſmundæ regalis radix; Cornicum Hepata ſiccata in cliba-

no

no poſt panem extractum, & pulverizata; Jecora etiam ranarum probantur. Inter decantata huic affectui curando remedia eſt vacuatio ſanguinis non venæ ſectione, ſed vel hirudinibus capiti abraſo admotis, vel diſſectis aurium cartilagineis inter eminentias interſtitijs, à quo principio omnem curationem noſtrates Empiricæ fœminæ ſatis fæliciter auſpicantur. Quod & Hippocraticâ ſtabilitum authoritate videtur, (6. Epidem. S. 5. part. 22) qui, cum adſint κέδματα venas quæ in auribus poſteriùs ſunt ſcarificare juſſit. Κέδματα autem (interprete Galeno) vocantur fluxiones in crura & coxæ articulum. Præterea Scythæ quibus dicta κέιματα familiaria erant has venas tundebant ut ſanarentur. His Hippocr. L. de aere & aquâ tradit fuiſſe ἄρθρα, καὶ ὕγρα, καὶ ἄζοια, eorumque temperamentum fuiſſe impensè humidum probat. Trahunt itaque noſtrates curatrices mulierculæ primò ex utrâque aure ſanguinem ter ſecando quaterque aurem inter duas cartilagines, propinquiùs tamen inferiori, cultello obtuſo, ut meliùs ſanguis fluat (obſtructo interim auris foramine ne ſanguis intret) poſt diutinam frictionem, & balnea aquæ calidæ plenilunij tempore. Sanguinem excipiunt cum aquâ vitæ lanâ nigrâ, nec non deligant ad pectoris nodos. Secundò, ſpinam, & omnes artus ſemel indies inungunt unguento de ſale, chamæmeli, roriſmarini, taraxici, lavendulæ foliis ana. M. ij. Abſynthij, lauri ana. M. j. limacum nigrorum contuſorum lib. j. in Butyro Maiali coctis ad putrilaginem deinde expreſſis. Tertio, pulegium, radicem Oſmundæ regalis omnibus edulijs inſpergi curant pani, lacti, pulti, &c. Quarto, decoctum bis indies propinant ex radice prædictâ, veronicâ, millefolio, linguâ cervinâ, uvis paſſis, glycyrrhizâ, & ſemine aniſi. Aliæ ſolùm aures incidũt, & ſemel indies artus omnes aquâ vitæ calefactâ fovent ſpongiâ vel lanâ exceptâ per horæ dimidiũ ad foci calorem huc illuc verſando. Conſueta Theſium brevitas me prohibet plura recitare empirica; quæ ſi fæliciter nõ procedunt, tanquam in re deploratâ ad medicos confugitur. Sciendum autem hìc multos ſolo ætatis beneficio convaluiſſe, alios nec à naturâ nec ab arte ſanari potuiſſe, quos in prognoſticis monſtravi. Obſervatum eſt pleroſque qui naturæ auxilio convaluerunt in Diarrhæas primò incidiſſe, & poſtea firmiorem valetudinem adeptos; plerique qui ſine purgatione curati videbantur, vel recidivas paſſi ſunt incurabiles, vel peripneumonijs convulſionibuſve ſubitò correpti erant, aut Hydrope tandem expiraverunt. Purgantia itaque

itaque ſint Syrupus roſarum, Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro, Syrupus Auguſtanus, Syrupus Roſaceus cum Agarico, Infuſio Senæ, & Rhabarbari, pulvis Rhabarbari. Verùm tenella corpora ab initio non ſunt defatiganda frequenti purgatione, cum materia lenta nondum ſequax eſt: ſed ſtatim à levi ablutione primarum viarum accedendum ad præparantia appropriata, & experta; inter quæ multùm commendatur ſequens. ℞ Roriſmarini M. ſs, hepaticæ, ſcabioſæ, ægrimoniæ, capilli Veneris ana M. j. Veronicæ (Anglicè *Speedwel*,) M.iij. radicis oſmundæ regalis ʒiiij, paſſularum Corinthiacarum M. j. ſeminis aniſi cochlearia iiij, coque in aq. à font. lib. vj. ad lib. iij. colaturæ adde ſacchari candi. q. ſ. ad dulcorandum, & Santali citrini craſſiuſculè pulverizati, & in nodulo ligati ʒ ij. bibat hauſtum mane, horâ quartâ pomeridianâ, veſperique: poſt ſeptem dies niſi aliàs ex ſe purgatio ſequatur, decocto priori adde Rhab. ʒij. Syr. roſ. cum Agarico q.ſ. bibat per ſeptem dies continuos, deinde redeat ad priorem decoctionem. Quibus malum inveteraſcit ut à ſeroſâ colluvie eos liberes catharſim longam, ſed lenem decernas per 4 vel 6 vel 8 dies continuos, poſtea repetendo ſexto vel ſeptimo quoque cum polypodio, epithymo, mechoacâ, & carthamo. Deinde fontanellam unam, vel alteram præcipias; præcipuè verò cauterium ad nucham. Tertiò vivat æger in aëre calido, & ſicco naturâ partis anni, aut noſtrâ induſtriâ, ignibus luculentis, ſuffitibus aromatum. Utatur exiccantibus internis Chinâ, Sarſaparillâ, Santalo albo, ebore, (nonnunquam Guaiaco) radice Oſmundæ regalis, decoctis, infuſis, pulveribus in pane, pulmentis, cereviſiâ, juſculis prout res exigit. Externis cataplaſmatibus pro abdomine ex limacibus, ſale, &c. Emplaſtro de baccis lauri; ſtratis vel pulvinaribus ex furfure, foliis filicis, &c. ventris ſolius inſolatu, aut in arenis calentibus impoſitu, aut balneo ex urinâ pueri bilioſi; aut ſuffitu facto ex decocto herbarum calidiorum. Ventri etiam applicare poſſis ſacculos arenâ, ſale, alumine, ſulphure plenos, vel oleum lilij, anethi, vel pulverem ſeminis aniſi, baccarum lauri & ſimilium. Deinde calorem nativum ſuſcita, & circulationem ſanguinis in exteriora promove, tum per prædictorum aliquot, tum per balneum naturale, ſi fieri poteſt; ſin minùs, per fotus ex aquâ vitæ, vino Hiſpanico, vel Moſcatello infuſis nervalibus herbis, mace, &c. In pauperibus Cereviſiâ forti, urinâ, lixivio poſt fotum inungendo unguento Martiato, oleo Exceſtrenſi, quibus adjice oleum nucis moſchatæ per expreſſionem, vel ſpiritum Salis, vel liquamen

quamen ex limacibus ſale aſperſis, & deliquio ſolutis. Augendus quoque ſanguinis circuitus eſt frictionibus, exercitijs, picatione, veſicatoriis, phænigmis, jactatione corporis calcibus prehenſis, ligaturis. Proſpice junctura rum debilitati, & laxitati emplaſtro nervino: inunguntur epiphyſes unguento attenuante, quale eſt Agrippæ. Ad diſcutiendum Epiphyſeos tumores appropriatum eſt ſequens. ℞. butyri recentis, axungiæ porci recentis, ana lib. ſs. pinguedinis anſeris ℥iiij. ſpermatis ceti ℥ij. ſol. viridis cochleariæ, naſturtij aquatici, becabungæ ana Mj. fol. veronicæ maris, chamæpiteos ana Mij. Salviæ rubræ, roris marini ana M. ſs. Vini Alecantici & Moſcatelli ana lib. ſs. Herbæ incidantur, coquantur omnia ad vini conſumptionem, & herbarum putrilaginem, colatura fiat. ℞ unguenti dicti, cereviſiæ fortis ana ℥ij. miſce, ut fiant, & inungantur multùm diuque fricando articulos manu calefacta ad ignem luculentum. De præſcriptis detrahere quædam ingredientia licet, prout morbus curatu facilior eſt. Unum monere libet, ad curationem rectè inſtituendam, multo maximum eſſe parentum in diſpoſitiones rimari, ſive Scorbuto, ſive morbo Gallico infecti ſunt, ſive cerebro frigidiore laborabant. Nec nocebit unquam Scorbutica remedia immiſcuiſſe internis externis adhibitis, non nunquam neceſſe fuerit.

Hoc tantum huic novæ editioni addere viſum eſt.

Curatio indicat Morbum.
Curatur de obſtruentibus Hepaticis, Spleneticis, &c.
Ergo eſt Morbus ab Obſtructione viſcerum primario.

MVSEVM BRITANNICVM

FINIS.